

PRAEFATIO

pauca esse quae aliunde quam per L in codices recentiores irrepserint, ceteris tamen omnibus longe praestare L ob tria maxime contendit; solum enim hunc interdum veram lectionem servasse, ut in Ai. 45, vel vestigium aliquod veri, ut in Ai. 232, vel corruptelam propiorem a vero quam aliorum maculas, ut in El. 192. Mirum est autem eum non animadvertisse leviora haec esse quam quae L prae ceteris eximium et praestantissimum locum habere arguerent. Quamquam enim L ceteris antiquior et accurate scriptus genuinae lectionis testis plerumque extat, multos¹ tamen restare locos ubi A verum habet et L corruptelam nemo infitari poterit. Haec vero omnia libidini Byzantinorum deberi, qui cum in coniecturis saepius erraverint interdum fortuna secunda usi sint, quis hodie Dindorfio concedet? Nam, ut ceteros omittam, qui infra recensebuntur, locos duos tantum eligere placet quibus Parisini auctoritatem vindicare possim. In Ant. 235 *δεδραγμένος* habent A, recentiorum aliquot, Suidas, legisse Σ (schol. L) videtur, sed *πεπραγμένος* L alii, *πεφραγμένος* alii. Hic quis non videt *πεπραγμένος* a *δεδραγμένος* ortum esse praesertim cum *δρᾶν* verbo *πράσσειν* utique explicari meminerit? Dein in El. 947 glossema *ποεῖν*, ut alibi demonstravi,² genuinum *τελεῖν* de sede sua detrusit. Haec tamen obiter monui, ut Jebbii rationem non satis firmo niti fundamento monstrarem. Hic enim, ut ceteri, quotiens L et A diversas habuerunt lectiones quarum utravis eligi potuerit a Laurentiano potius standum esse iudicavit nisi res ipsa aliud postulare videretur. Sed

¹ Haud scio an plures fuerint, omissis quae socordia utriusque scribae deliquerit.

² C. Q. xiii. 120.